


**05  
A  
356**





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-581054-p0002-2

DFG

# COLLEGII LOGICI.

DISPUTATIO VII.

*De*  
FORMA ARGUMENTANDI ET  
DISCVRRENDI.

*Quam*  
**D. T. O. M. A.**

*In alma Leucorea*

PRAESIDE

*Viri Clarissimi & Excellentissimi*

**DN. M. JOHANNIS SCHARFII**

Logicæ & Metaphysicæ P. P. Præceptoris, Promoto-  
ris ac Fautoris sui æterno honore pro-  
sequendi,

Publicè


*ventilandam proponit*


**JOSEPHUS ALAUDA UNGARUS**  
Leutschovia.

*Ad diem 8. Augusti horis pomeridianis in auditorio minore.*



WITTEBERGÆ,  
Typis JOHANNIS HAKEN.  
M. DC. XXIX.





## COLLEGII LOGICI

### DISPUTATIO VII.

*De*

### FORMA ARGUMENTANDI ET DISCURRENDI.

#### THEISIS I.



Idimus hujusq; naturam terminorum & propositionum absolutam: Nunc sequitur, ut ipsam formam discurrendi ex terminis & propositionibus ostendamus.

II. Forma discurrendi sit per syllogismum. *Forma di-*  
Etenim nihil aliud est quam connexio, sive dispo-  
*sitio terminorum & propositionum syllogistica.* *scurrendi.*

III. *Syllogismus est discursus, in quo legitimè dispositis duabus propositionibus colligitur alia tercia, quæ vocatur conclusio.* *Syllogismus*

IV. Sunt autem in omni syllogismo tres termini & tres proposi-  
tiones.

V. Termini vocantur Major, Minor & Medius, *Major terminus*  
*est predicatum questionis & conclusionis, semperq; in propositione majo-*  
*ri disponitur cum medio termino. Alias dicitur extre- i*  
*um majus.* *Termini.*

VI. *Minor terminus est subjectum questionis & conclusionis, semperq;*  
in propositione minore disponitur cum medio. Alias minus extre-  
num appellatur.

VII. *Medius terminus est ratio conclusionis, qui bis ponitur in præmissis,*  
& eum utroq; extremo semel jungitur: indeq; facit duas proposicio-  
nes. Alias absolute vocatur medium & vulgo argumentum tertium. E.  
G. Sit hæc quæstio: *An omnis ignis ascendat?* Ibi in quæstione datâ, pre-  
dicatum (*adscendit*) fiet major terminus Syllogismi: Sed subjectum  
datæ quæstionis, *Ignis*, erit minor terminus: Addatur jam aliqua ratio.  
per quam probetur illa quæstio, nempe esse levissimum, & sic erit alias  
tertius

tertius terminus, qui vocatur medius: quia est quasi vinculum, quo extrema questionis datae ita junguntur in premissis Syllogisticis, ut in conclusione de se invicem concludantur, quod fit per hanc formam Syllogisticam.

Omne levissimum adscendit.

Omnis ignis est levissimus.

Ergo omnis ignis adscendit.

**I IX.** Propositiones, ex quibus sic syllogismus, vocantur Major & Minor, & ex illis emergit conclusio. Major propositio est, in qua disponitur major terminus cum medio. Et haec primo loco ponit solet in Syllogismis manifestis, licet in Crypticis & obscurioribus argumentandi modis postponatur. Alias absolute, vocatur propositio. Item, propositio prima.

**I X.** Minor propositio est, quae habet minorem terminum cum medio conexum. Appellatur assumptio, assumptum, altera propositio. Et haec in ordinario argumentandi modo secundo loco ponit debet. Quæ duæ propositiones conjunctim sumptæ, appellantur præmissa, eò quod præmittantur conclusioni. Sit Exemplum:

Lapis est gravis.

Omne grave descendit.

Ergo lapis descendit.

Ibi propositiones, quæ conclusio præmittuntur, sunt major & minor. Et quia transpositio facta est propositionum, ita ut prima sit secundo loco posita; Et altera sit primo loco posita; ideo ex termino majore indaganda est major propositio, ut & ex minore termino innoscat minor propositio. Igitur major propositio erit haec: Omne grave descendit, licet secundo loco ponatur: Et minor erit: Lapis est gravis, quia habet in se minorem terminum, (lapis) uti patet ex conclusione vel questione.

**X.** Ut verò consequentia sit evidens & manifesta, in ordinem debitum redigantur propositiones, & justo suo loco ponantur, hanc in modum.

Omne grave descendit,

Atqui lapis est gravis.

Ergo lapis descendit,

En jam

En jam habes manifestam consequentiam, & ex datis præmissis  
evidenter concluditur, lapidem descendere.

X I. Conclusio est, quæ ex propositionibus justâ lege dispositis  
elicitur. Aliâs appellatur Complexio, Clausula, Conclusum. Quæ  
quidem non potest non sequi ex præmissis positis & legitime dis-  
positis. V. G. sit, qui ponat has propositiones:

Quicquid descendit, est grave.

Ignis descendit,

Is necessariò cogitur concedere hanc conclusionem: Ergo ignis  
est gravis.

## REGULÆ.

I. In Syllogismo tres tantum debent esse termini, nec plures, nec pauciores,  
ne turbetur connexio. Quod si enim plures fuerint termini in Syl-  
logismo, tunc non vere erit unus & simplex, sed multiplex & coa-  
cervatus, adeoq; obscurus & Crypticus: Si v. pauciores fuerint ter-  
mini, quam tres, tunc fit imperfectus, adeoq; & consequentia erit  
imperfecta. Ut igitur forma argumentandi & consequentia sit evi-  
dens certior & perfectior, oportet saltem tres assumantur termini &  
legitimè disponantur. E.G. sit hic Syllog.

Aer est supra terram.

Homo est in aere.

E. homo est supra terram.

Qui syllogismus, quia constat quatuor terminis, ideo multi-  
plex est & obscurus.

Sunt autem hi termini quatuor. 1. Aer. 2. Esse in aere, 3. Homo.  
4. esse supra terram. Ut ergo illa consequentia fiat manifestior, re-  
solvendus est iste Syllogismus, & in simplicem, vereq; unum re-  
digendus. Quod ut fiat, omissa propositio major eruatur & adda-  
tur h. m.

Quicunq; est in aere, is est supraterram.

At qui homo est in aere.

E. Homo est supraterram.

Jam habes consequentiam manifestam ex tribus terminis legi-  
timè dispositis factam. Quæ autem antea erat addita oratio, loco  
majoris propositionis, illa saltem erat ratio vel probatio majoris,

L. 3

inde-

indeq; in locum omissæ propositionis majoris erat substituta: Quan-  
do enim queritur, an hæc major:

Quicunq; est in aere, is est supra terram,

Sit vera; tunc illam probo exinde, quia aer est supra terram, &  
sic habeo rationem majoris.

II. Cavendum est, ne sit ambiguitas in terminis, nec varia sit acceptio,  
nec diversa significatio termini. Alias enim multiplicarentur termini,  
adeoq; ad nimum quatuor fierent termini, & sic connexio sive  
dispositio syllogistica distraheretur. Primo enim ex ambiguis ter-  
minis non fit bonus Syllogismus. V.G.

Omnis vulpes est quadrupes.

Quidam homo est vulpes (Herodes est vulpes).

Ergo quidam homo (: Herodes) est quadrupes.

Ibi, quia ambiguitas est in medio termino (*vulpes*) ita ut pro-  
priè accipiatur in majore, & impropriè per metaphoram in minore:  
ideo turbatur connexio, & nihil sequitur. Vulpes enim in prima  
propositione ponitur *pro animali irrationali*, quod est callidum, sed in  
minore, altera illa propositione ponitur *pro quovis astuto*, qui callidi-  
tatem habet, ita ut etiam homo astutus ob calliditatem cum vulpe-  
culæ calliditate similem dicatur vulpes. Hinc sunt quatuor termi-  
ni in illo Syllogismo. Quocirca cautè agendum est in Syllogismis,  
ne termini ambiguë ponantur. Quod si ex necessitate  
& penuria vocum omnino utendum sit ambiguis vocibus,  
tunc studiosè observandum est, ut strictè sumantur in eadem  
significatione in omnibus propositionibus, Syllogisticis, nec per-  
mittendum est, ut alia significatio vocis assumatur in minore propo-  
sitione, quam quæ erat in majore: Nec alia significatio termini in-  
telligi potest in conclusione, quam quæ erat in præmissis. Ubi enim  
significatio termini vel vocis sumitur alia atq; alia, ibi statim fit aliis  
terminus, & sic iterum multiplicantur termini. V.G.

Quicunque vivit, is non est mortuus.

Atqui omnes fideles & pii vivunt.

Ergo nulli fideles & pii sunt mortui.

Qui Syllogismus omnino bonus est, si termini accipientur in  
eadem significatione per omnes propositiones, ita ut vita illa, quæ  
intelligitur in majore, etiam intelligatur in minore: Item, ut mors  
illa,

illa, quæ est in majore loco prædicati, etiam intelligatur in conclusione: sic autem termini intelligantur:

Quicquid vivit vitam spiritualis, is non est spiritualiter mortuus,  
Atque omnes pietatis & fideles vivunt vitam spiritualis.

E. nulli pietatis & fideles sunt spiritualiter mortui.

Quod ut verum est, ita hactenus bona fuit forma argumentandi & bona consequentia: Verum si quis velit significaciones illorum terminorum mutare, ita ut jam intelligat vitam temporalem, jam aeternam & spiritualem: Itemque jam sumat mortem corporalem, jam intelligat mortem spiritualem: Tunc certè totus syllogismus fiet vitiosus, adeò ut ob diversas significaciones terminorum prosus fiant quinque termini. 1. Vivere corporaliter in hoc mundo, 2. Vivere spiritualiter in vita aeterna. 3. Fideles & pietatis. 4. Mortuum esse corporaliter. Et 5. Mortuum esse spiritualiter sive damnatum esse. Ne igitur per diversas significaciones terminorum & vocum adeò turbetur, & depravetur discursus, quam strictissime observandum est, ne varient significaciones vocum, nec significaciones terminorum in uno Syllogismo sumantur aliæ atque aliæ. Huc etiam, pertinet acceptio termini sive vocis, pro ut sumitur vel pro se ipsa & materialiter, vel pro conceptu seu re universaliter concepta, vel pro rebus ipsis in ipsa natura existentibus, ut supra monuimus in lib: 2. de suppositione terminorum, materiali, simplici & personali. Ubi enim ejusmodi acceptio & suppositiones terminorum mutantur, ibi statim fit vitiosus syllogismus, & oriuntur 4. termini.

III. Nullus in syllogismo terminis mutetur nec multiplicetur, nec augeatur.  
Ratio est, quia omnis mutatio termini facit, alium terminum, adeoque & multiplicat terminos & vitiosum facit Syllogismum. Multum à multis hic peccatur, ideo haec regula diligenter observanda & urgenda E. G. sit primò hoc:

Nullum malum est à DEO.

Atqui cor hominis est malum,

E. Cor hominis non est à DEO.

Ibi terminus medius mutatur in propositione minori.  
Etenim in prima Propositione *ad malum* sumitur forma litter & reduplicative, quasi esset res abstracta, hoc sensu: Quicquid est formaliter malum, hoc est in sua forma & essentia malum,  
ad eo-

adeoque est malitia vel' peccatum, illud non est à D E O. Atvero longè aliter sumitur *tò malum* in minore. Nam ibi concretive sumitur & materialiter hoc sensu: Cor hominis est malo affectum vel malitia præditum. Jam longè aliud est, esse in se malum & malitiam, & iterum aliud est, malo præditum esse, vel malitiæ affectum esse. Sic ergo ibi in dato Syllogisme facta est mutatio medij termini. Huc pertinet illud vulgare: *Termini abstracti cum concretis, obliqui casus cum rectis non sunt confundendi.* Alias enim fieret mutatio terminorum, ut in hisce:

Omnis ars imitatur naturam.

Atqui quidam homo est artifex.

E. quidam homo imitatur naturam.

Ibi sunt quatuor termini, quia medius terminus est abstractum (ars) in majore, & deinde fit concretum (Artifex) in minore, & sic confunditur abstractum cum concreto. Ergo nihil sequitur. Similiter peccat hic Syllogista:

*Caseus est nequam,*

*Tu es Caseum.*

E. *Tu es nequam.*

Iterum confunditur rectus casus in majore cum casu obliquo in minore. Aliud n. est esse caseum, ut caseus ponitur in majore, & iterum aliud est, esse, h.e. edere caseum, ut sumitur in minore: Nihil ergo sequitur. Neque hoc vitium tantum contingit in illis vulgaribus exemplis, ubi facile animadvertisit, num terminus mutetur, & quomodo, sed etiam in multis difficilioribus, ubi beneficio hujus regulæ multa expediri possunt, V.G. in modalibus vulgo solent ita argumentari:

*Necesse est hominem esse corporeum.*

*Necesse est studiosum esse hominem.*

E. *necesse est studiosum esse corporeum.*

Videtur quidem, quasi hic Syllgismus in formâ sit bonus, & legitimè concludat, verum si accuratius examinemus terminos in illo Syllogismo positos, tunc apparebit, quod peccet in datam regulam, & fiat mutatio termini medij in propositione minore. Nam medius [homo] in majore non est affectus modo, cum ex sententia omnium Logicorum modus non pertinet ad subjectum, sed ad copulam.

Iam. Igitur propositio major habet hunc sensum: *Homo necessariò e corporeus*, ita ut modus *necessitatem* determinet copulam, & ostendat, quo modo prædicatum (*corporeum esse*) necessariò insit homini. At verò in minore, ibi medius (*homo*) afficitur modo, & fit modificatus, hoc sensu: *Studiosus necessariò est homo*. Jam aliis terminus est modificatus. V. G. *Necessariò esse hominem*, & iterum aliis est *Terminus absolutus sine modo, esse hominem*. Ut ergo vitium illius Syllogismi eò magis pateat, sic proponantur termini & propositiones:

Omnis homo necessariò est corporeus.

Omnis Studiosus necessariò est homo.

E. Omnis studiosus necessariò est corporeus.

En jam vides terminum medium esse auctum, adeoque mutatum in minore propositione. Similiter peccatur in hoc Syllogismo.

Quicunque est adorandus, ille est omniscius.

Solus Deus est adorandus.

E. Solus Deus est omniscius.

Ibi iterum mutatur & augetur terminus medius in minore propositione, ob additam exclusivam vim, quam nō habebat connectam in majore. Minor enim propositio, æquipollit huic: *Deus tantum est adorandus*, ubi medius terminus sit, *tantum esse adorandum*, & ita est exclusivus. At verò in majore absolute ponitur, sine virtute exclusivâ. Quis autem ignorat alium terminum esse absolutum V.G. *adorari*, & vicissim alium terminum esse exclusivum, *tantum adorari*. Sic ergo patet, quod in dato Syllogismo iterum augeatur & mutetur medius terminus. Præterea in hoc syllogismo & illud virtutis est, quod etiam in conclusione mutetur & augeatur terminus major, cum & ibi per particulam solus affiliatur copula, adeoque & prædicatum determinetur, & ita major terminus ibi fiat exclusivus, cum tamen in propositione majori absolute positus erat sine particula exclusiva. Quod ut eò melius & facilius intelligatur, sic resolvatur & exponatur Syllogismus:

Quicunque est adorandus, is est omniscius.

Atque Deus tantum est adorandus.

E. Deus tantum est omniscius.

Jam habes duplicem mutationem i. Termini medij in minore,

M-

&

& termini majoris in conclusione, unde oriuntur quinque distincti termini 1. Esse adorandum. 2. tantum esse adorandum. 3. Deum. 4. Esse omniscius. 5. tantum est omniscius.

I V. Terminii syllogismorum eodem planè modo sumuntur per omnes propositiones. Ita constat è dictis. Vbi enim vel minimum variant termini, statim & connexio variat, & dispositio distrahitur, adeoque & consequentia inserviatur. Hic nulla determinatio, nulla limitatio aut restrictio addi debet in aliquo termino, nisi sit per omnes propositiones, ubi ponitur iste terminus. Nec limitetur aut determinetur minor terminus, nisi talis fuerit sub medio: Nec medius terminus determinetur in minore propositione, qui non erat determinatus in majore: Nec denique major terminus determinetur in conclusione, qui non fuit determinatus in majore propositione: Et contra nec divellatur determinatio sive restrictio à terminis, ubi semel facta fuerat. Bene igitur observanda est hæc cautela: **Cavendum est, ne determinatio aut limitatio terminorum sit illegitima:** ubique enim debito loco collocanda est, ne male addatur, nec male divellatur, V. G. si hic Syllogismus:

Quicquid emisti, comedisti.

Carnem crudam emisti.

E. Carnem crudam comedisti.

Ibi aliter determinatur terminus minor, [caro cruda] in minore propositione, quam ut erat in majore. Major enim simpliciter agit de ipso re, vel substantia, quæ emitur, non autem de qualitate illius rei. At vero in minore additur limitatio per qualitatem, nempe per cruditatem, ut non caro per se sumatur, sed cruda caro. Et ita illa determinatione nova facit vitium syllogismi. Item,

Quicquid est malum, illud, quā tale, non est à Deo.

Atqui homo est malus.

E. homo non est à Deo.

Ibi determinatio, quæ addita est majori termino, male divellitur in conclusione ab eodem termino majore: sic enim debebat concludi. Ergo homo non est à Deo, quā malus est, & sic etiam vera est conclusio.

V. **Medius terminus nunquam ingrediatur conclusionem, neq; ex toto,**  
**enq;**

*neg, ex parte.* Est enim causa in præmissis posita, per quam reliqui duο termini in conclusione debent concludi. At verò idem non potest concludere semetipsum. Ergo nec medius, sive tertium argumentum poterit semetipsum concludere. Solent hoc exemplum proponere:

Omnis boni affectus in homine contaminantur vitijs:  
Atqui *sogyal* sunt per se boni affectus.  
Ego *yaj* per se contaminantur vitijs.

Ibi particula per se non debeat transferri in conclusionem. *Eſt enim determinatio medijs termini.* Sed præter hoc vitium, & illud sat grave est in hoc Syllogismo, quod medius terminus determinatur (per se) in minore propositione, ubi tamen illa determinatio non erat facta in majore propositione.

VI. *Ex puris negativis nihil sequitur.* Necesse enim est, ut alterutra præmissarum in Syllogismis aliquid ponat & affirmet, Sic nihil sequitur.

Nullus homo est lapis.  
Atqui nulla gemma est homo.  
E. nulla gemma est lapis.

VII. *Ex puris particularibus nihil sequitur.* Necesse enim est, ut alterutra præmissarum sit universalis, & ita universaliter aliquid ponat.

Homo est medicus,  
Rusticus est homo,  
E. Rusticus est medicus.

Quia scil. major est particularis, nempe quidam homo est medicus, ideo nihil concluditur.

VIII. *Cavendum eſt, ne mutetur genus prædicandi in propositionibus.* Strictè enim observandum est, ut ubique in syllogisticis propositionibus *καὶ μὲν τῆς λέξεως* sit idem, & idem planè modus prædicandi in terminis observetur. Rectè Philippus: *Non valet consequentia minus atque genere prædicationis usitato in peregrinum & inusitatum.* V. G. Non valet, nec licet ita inferre:

Diabolus est invisibilis.  
Atque serpens decipiens Protoplastas, est Diabolus.  
E. iste serpens est invisibilis.

Vitio.

Vitiosus est Syllogismus, quia mutatur genus prædicandi in præmissis. Major enim propositio vera est Synonymos accepta, hoc sensu :

Quicquid Synonymos est Diabolus, id est res invisibilis. At jam minor sicutem vera est paronymos, hoc sensu: Serpens, qui decepit Protoplastas, paronymos dicitur Diabolus, quia per formam serpentis ibi apparuit Diabolus.

Similiter cavendum est, ne Essentialia commutentur cum accidentalibus, propria cum improprijs, prædicamentalia cum transcendentalibus, & ne fiant diversæ suppositiones terminorum, ut ex superioribus constare potest.

IX. Conclusio imitatur partem debiliorum. E. quando una præmissarum est negans, etiam conclusio fiat negata: Si una præmissarum est particularis, etiam conclusio fiat particularis. Vbi ergo Conclusio est affirmativa in legitimo Syllogismo, ibi omnes propositiones sint affirmatæ, necessum est. V.G.

Quicquid non sentit, est inanimatum.

Atque lapis non sentit.

E. lapis est inanimatus.

Ibi, quia conclusio est affirmativa, etiam utraque præmissarum erit affirmativa, ut etiam minor sit affirmans infinita.

X. In conclusione non sit plus vel minus, quam erat in præmissis. Alias enim fieret mutatio terminorum, auctio vel mutatio. Peccant ergo hi Syllogismi: Depositum est reddendum.

Arma sunt depositum.

E. arma furioso sunt reddenda.

Plus est in conclusione, quando dicitur, furioso esse reddenda, cum tamen in majore propositione non habeatur vox, furioso. Item,

Totus homo ridet.

Atque totus homo habet pedes.

E. pedes rident.

Ibi minus est in conclusione, quia mutilatur terminus minor, qui in propositione minori erat, habet pedes. Sic autem concludi deberet: Ergo habens pedes ridet, id quod est verum.

05 A 356



WDA






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-581054-p0016-0

DFG

**Farbkarte #13**



**COLLEGII  
LOGICI.**  
**DISPUTATIO VII.**  
*De*  
**FORMA ARGUMENTANDI ET  
DISCVRRENDI.**

**D. T. O. M. A.**

*In alma Leucorea*

PRAESIDE

*Viri Clarissimi & Excellentissimi*

**DN. M. JOHANNIS SCHARFII**  
Logicæ & Metaphysicæ P. P. Præceptoris, Promoto-  
ris ac Fautoris sui æterno honore pro-  
sequendi,

Publicè

*ventilandam proponit*

**JOSEPHUS ALAUDA UNGARUS**  
LEUTSCHOVIA.

*Ad diem 8. Augusti horis pomeridianis in auditorio minore.*



**WITTEBERGÆ,**  
Typis JOHANNIS HAKEN.  
M. DC. XXIX.